

qui in ea sedebant. Fecit autem id partim, quod populi huius propheta fuerit Moses; partim quod vrbs praecipue Hierosolymorum, in tota Palaestina, cultui diuino, Synedrio magno, arcae foederis, tabernaculo, tabulis legis, scriptis denique Mosis, etiam *αυτογράφοις*, asseruandis, quae omnia, post Deum, Mosem agnoscebant auctorem, fuerit destinata; partim denique, quod Pharisei & Scribae Mosis fuerint successores.

§. II. Secuta exemplum Seruatoris antiquitas, pro sua non superstitione vana, sed erga maiores pietate, & semper sedes apostolicas in pretio habuit, quod illae vel ab ipsis Apostolis essent fundatae, & confirmatae, vel *αυτόγραφα* apostolorum asseruerent, vel etiam cathedras, quibus illi vsi fuerunt, haberent. *Alexandrinam, Hierosolymitanam, Antiochenam* ecclesias venerabantur aliae, eo, quod illa Marci Euangelistae cathedram, in qua ille factus docuerat; ista Jacobi, quam, quarto adhuc saeculo, Constantini M. temporibus, superstitem fuisse, EUSEBIVS *Lib. VII. H. E. c. 14.* testatur; haec Jacobi Iusti, ex qua ille concionatus est, teste eodem EUSEBIO *l. c. c. 19.* asseruaret Petri cathedram, quam in eius Basilica Vaticana reconditam custodiri, certis diebus populo visendam exponi, immo diem anniuersarium, in eius venerationem, celebrari, scribit BARONIVS *ad an. Chr. 45. n. 1. §. II.* praetereo, & fidem rei penes auctorem relinquo.

§. III. LUTHERVS noster, quamuis neque Mosem, neque Apostolos per omnia aequauerit, tamen, quia Mosis & Apostolorum doctrinam, ante suam aetatem valde obfuscatam, ex cimmeriis veluti tenebris, in lucem protraxit, & in pristinum splendorem asseruit, promeruerat id ab omnibus posteris, doctrinae suae tenacibus, vt cathedra quoque, nomini, & memoriae eius sacra, ex qua immortalia Dei beneficia acceperunt, ab eis, si non, ratione materiae, in pretio haberetur, quid enim ponderis doctrinae a ligno mortuo accedat? conuiciis saltem, sibilis, & cauillationibus non infestaretur cum doctoribus suis. Sed, quae temporum nostrorum est infelicitas, ii ipsi, qui Lutheranum nomen sustinent, beneficiorum diuinorum obliti, tantum abest, vt honestam cathedrae Lutheri mentionem faciant, vt potius eam, vna cum doctrina, a Luthero quondam repurgata, risui non modo habeant ipsi, sed & coram aliis exponant. Suspiciebant,

¶ E

ciebant,